

pretationem ideo præferunt BEZA, ER. SCHMIDIVS, GROTIUS, BENSONIUS, quia loquitur Jacobus de re quotidiana & omnibus nota, silvas autem exuri, raro contingit, & vix centesimo homini vel semel visum est.

## §. IX.

## v. 6.

Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας· οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, ἡ σπιλάσα ἔλον τὸ σῶμα, καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γέεννης.

Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας.) Justo audacior est JO. CLERICI conjectura in *NN. ad Ham.* Quando hæc verba pro Scholio seu glossate habet, e margine in textum illato, ideoque illa e contextu eliminanda censet; Præter ea, quæ JAC. ELSNERVS in *obss. ff. p. 391.* & WOLFFIUS in *Cur.* obvertunt, vel id unum temeritatis eam convincit, quod mirum dictu & insolens est, Scholion in textum ita irrepere, ut omnes tam Codices quam Versiones

fiones pervadat, & quæ licentia quæso est, lectionem damnare, quæ optimum fundit sensum, nulla rei auctoritate allata? ita solide MICHAELIS ad *Bensf.* p. 131. n. 92. Quod 2.) ad ipsa hac verba initialia spectat, A.) observandum est, και hic facere apodofin ad *Simile* in fine *comm.* 5. uti ούτως init. v. 5. ad duas priores similitudines v. 3. 4. Subaudiri tamen potest τό ούτω, quasi æque, ut antea, legeretur: ούτω και, sic etiam; quin solum και quandoque valet ούτω, vid. *Matth.* VI, 10. *Marc.* III, 26. B.) ή γλωσσα est subjectum, ad quod ex præcedd. subaudiendum μικρον μελος. C.) πυρ est prædicatum, copula ἐστι vero subintelligenda. Eandem metaphoram de lingua usurpatam vide *Pf.* CXX, 3, 4. *Prov.* XVI, 27. *C.* XXVI, 20, 21. D.) ο κόσμος της ἀδικίας non pertinet, ut aliqui volunt, ad prædicatum, πυρ ἐστι, licet illi immediate junctum sit, sed ad subjectum ή γλωσσα, unde iterum additur *articulus*, quem LUTHERVS omisit, vertens: *eine Welt voll &c.* cum vertendum potius fuisset: *die Welt voll Ungerechtigkeit*, qua ratione quis facile videret, cohærere hæc cum subjecto, *die Zunge*. Equidem & nobis in mentem aliquando venit,

venit, annon ὁ κόσμος της ἀδικ: ad *prædicatum* referri queat, ita ut *bimembre* illud sit, & *posterius* membrum, ὁ κόσμος τ. α. declaratum censeatur in verbis: ἡ σπι-  
 λῆσα — σῶμα, prius autem πυρ ἔστιν, in seqq. και φλο-  
 γιζουσα — και φλογιζομενη — nam *contaminatio totius corporis* melius cohærere videbatur cum ὁ κόσμος τ. α. quam cum πυρ ἔστιν, ad quod tamen una cum seqq. referri debet, si totum *prædicatum* hoc uno enuncia-  
 to, πυρ ἔστιν, absolvatur, & ὁ κ.τ.α. ad subiectum per-  
 tineat; Sed obstitit nobis cum maxime articulus ὁ an-  
 te κόσμος, qui tamen si & a *prædicato* non omnino ab-  
 horreat (ceu Matth. VI. 22. videre est, ubi *prædi-  
 catum* λυχνος æque ac subiectum ὀφθαλμος articulum  
 habet, ad designandam unitatem rei, quia corpus non habet lychnum, præter oculum, it. Matth. XVIII, 17. ubi in *prædicatis* ἔθνικος & τελωνης arti-  
 culus ὁ totum genus ethnicorum publicanorumque, & ex eo quemlibet, innuit, vid. Beng. Gn. ad locum modo cit.) in *prædicato* tamen bimembri, quale hic supponitur, numquam una illius pars, & *prior* qui-  
 dem, nuda & articulo destituta, altera vero, eaque *posterior*, eodem vestita reperietur, licet v. v. articu-

F

lus

lus *prioris* membri quandoque simul ad *posterius* quo-  
 que pertineat, ut e. g. II. Theff. II, 3. 4. Sensum  
 itaque hunc facimus: etiam lingua, pusillum mem-  
 brum (*physice*) simul vero (*moraliter*) mundus ini-  
 quitatis, ignis est; Continet quippe hoc incisum  
 ὁ κόσμος τ. α. *rationem* prædicati: ignis est lingua,  
 quia, utut pusillum membrum, mundus tamen est  
 iniquitatis. In alia longe hic abit Interpres *Syrus*,  
 vertens: Et lingua ignis est, & mundus peccati est  
 instar *silvæ*, quasi legisset: ὁ κόσμος της ἀδικίας ὕλη.  
 ὕλη certe subaudivit, quasi per ellipsin omissum;  
 verum hanc lectionem nullus neque Codex neque  
 Interpres confirmat; prorsus etiam illa immutat  
 comparationis membra in eodem commate: primum  
 enim *lingua* ignis, & *mundus* peccati, seu improbum  
 seculum, materia est, deinde *lingua* quidem igni com-  
 paratur, sed *materiae* corpus hominis. *Prisca latina*  
 quidem eandem cum SYRO sententiam exprimit,  
 vertens: & lingua ignis seculi iniquitatis, quasi lege-  
 rit: και ἡ γλωσσα πυρ τῶν κόσμων της ἀδικίας, & lingua  
 ignis est, quo mundus iniustitiæ inflammatur; sed eadem  
 difficultates hanc lectionem premunt, quæ præce-  
 den-

dentem; unde miror, etiam BROCHMANDVM orationem Apostoli pro *elliptica* habere potuisse, sic supplenda; και η γλωσσα πυρ εστιν, ο κοσμος της αδικιας υλη. GROTIUS eundem in sensum verba explicat, quasi scriptum esset: η γλωσσα πυρ τω κοσμο της αδικιας, ubi της αδικιας refert ad πυρ, ut sensus sit: *lingua ignis iniustitiae est mundo*, qua ratione mundus ipsi est *materia*, quam ignis accendit, dum vero ad Syrum provocat, recte CLERICVS monet, GROTIUM non satis diligenter inspexisse hunc interpretem, HAMMONDVM vero GROTIUM temere secutum esse.

## §. X.

His, de constructione verborum nostrorum non cum praedicto sed cum subiecto, praemissis, porro jam quaeritur: quo sensu lingua dicatur ο κοσμος της αδικιας, *mundus ille iniquitatis?* A.) Singularis plane est OECVMENII & ISIDORI Pelusio-  
ta explicatio, qui h. l. κοσμον eo accipiunt sensu,  
quo, aequae ac latinum mundus, notare alias solet  
ornamentum seu velamentum, ita ut lingua heic dicatur